

Johann Georg Dorsche    Johann Friedrich Heilbrunner

**Decanus Collegii Theologici In Academia Argentoratensi Joh. Georgius  
Dorscheus D. ad Lectiones Cursorias De Angelo Cum Jacobo Patr. Luctante ex  
Genes. XXXII. a ... Joh. Friderico Heilbrunnero SS. Theol. Candidato ... Octobr. 18.  
20. 21. 22. & 23. publice habendas ... invitans ...**

Argentorati: Mülbius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788763709>

Druck    Freier  Zugang







A-W  
A-G  
A-9  
A-7  
A-W

84.

52 b. 5.

192p  
A-C  
A-E  
A-B  
Pr. 104  
44 m  
A-L  
D-E  
A-M  
A-N  
A-O  
A-P  
A-Q  
A-R  
A-S  
A-T  
A-U  
A-V  
A-W  
A-X  
A-Y  
A-Z



A-C  
A-E  
A-G  
A-X  
40 p  
43 p  
24 p  
14 p  
30 p  
30 p  
41 p  
Pr. 7  
52 p  
66 p

A-B  
A-C  
A-D  
A-E  
A-F  
A-G  
A-H  
A-I  
A-K  
A-L  
A-M  
A-N  
A-O  
A-P  
A-Q  
A-R  
A-S  
A-T  
A-U  
A-V  
A-W  
A-X  
A-Y  
A-Z


Ja 1092 (84.)

<16.7h>


















1. A. L.  
2. B. C.  
3. D. E.  
4. F. G.  
5. H. I.  
6. J. K.  
7. L. M.  
8. N. O.  
9. P. Q.  
10. R. S.  
11. T. U.  
12. V. W.  
13. X. Y.  
14. Z. A.  
15. B. C.  
16. D. E.  
17. F. G.  
18. H. I.  
19. J. K.  
20. L. M.  
21. N. O.  
22. P. Q.  
23. R. S.  
24. T. U.  
25. V. W.  
26. X. Y.  
27. Z. A.



1. Jo. Bened. Campenii Patris. Vindicta doctrinae de Sacramento.
2. Bulaei (protr.) Ulenchius Errorum Papisticorum de Sacram. Nove et Def.
3. M. Geor. Lehmann (protr.) de Sione pœnit. ex Joelas potissimum.
4. Jo. Ulrich Chayer (protr.) de Imagine Dei Homini primævo conerata.
5. Andreas Kühn (protr.) de Universali gratia.
6. Fredericus Holzmann (protr.) de Symbolo Apostolico contra Calicium.
7. Balthasar Fredericy Saltzmann (protr.) De Processione Spiritus S.
8. Jo. Fredericy Heilbrunnensis. De Tractu Patris ad Filium. 9 Jo. 14. 44.
9. Jo. Geor. Dorschauer ad Ep. Juda v. 5.
10. Henricy Schmid (protr.) De Cathedra Petri.
11. Henricy Philippus Heruart de Raptu Pauli. 6. sic.
12. Spruntner Prof. Hulfemann de Peccato in genere et in sp. de originali.
13. Bernard Schmid De lingua Ebraea.
14. Wiltch prof. Meijner. de Vita Salomonis curriculum.
15. Balthasar Boebelig de Phrasi N. Testamenti.
16. Victor de Urin et Thummim. 15. in. f. d. Chembin.
17. Michael Strömbant de Judaism.
18. Francisc. Gfide Amalysio ad Rom. vi. 2.
19. Christhan Chemnitio de Peccato in Spir. S.
20. Christhan Chemnitig de Tentatione sensus et in existentia Dei.
21. Idem de Fide Demonum.
22. Jo. Ernest Gerharty de modo legitimo propagandi fidem.
23. - Idem de Salute Infantum ante baptismum decedentium.
24. - Quædæ hereticat. ad Nov. Test. Syriacum.
25. Sebastiani Niemanni Fides Pontificia non Fides.
26. Jo. Bissmann de Uia adventu frustra à Judæis adhuc expectato.



27. Jo. Triffmütz de Judaico Anno Paschali. Exod. XII, 3. p.
28. —. Idem de Angelo Federis.
29. —. Idem de Pontificum Ebraeorum Vestitu sacro.
30. Jo. Bened. Carpovig de Arca Federis.
31. —. Idem de Quaestione: Quorsum Arca perrenerit.
32. —. Idem ad nummos Cornutum Alesene exhibentes.
33. —. Idem ad Majemon. Hitch. VII. A. xvi.
34. —. Idem de Gigantibus.
35. —. Idem de Crethi et Pletthi.
36. —. Eundem versio Hithot Thaanith Majemon.
37. Jo. Andreas Bosig ad 2. Thimoth. II, 22.
38. Christianus Korthold de Origine Philosoph. Barbarica.
39. Jo. Faber Argent. de Causa Levati.
40. Jo. Pappi Quaest. et Resp. de Ecclesia Catholica.
41. Jacobus Froeseus de Haeresibus et Haereticis.
42. Jo. Georg. Gosschaus de Unione Hypostatica Ca. II, 9.
43. Balthasar Raithij Specimen Collegii Biblici ex Obadi.
44. Jo. W. Stachig de Punctis Hebraeorum vocalibus.
45. Jo. Winkelmannus de Messia nostro Jesu Jer. xxiii. 3-4.
46. Jacobi Leonoldii Praefide Fratergenio Flosculi Paganus Div.
47. Wilhelmi Lyfoni Christus Patiens Gal. I. xiii.
48. Jo. Conradi Sumii Judaei Inexpugnabilis.
49. Jo. Schmiel de Resurrectione Christi a. h. o. h. u.
50. Wilhelmus Lyfoni de Eadem.
51. Elia Schadaei Theses de Spiritu S.

Pro  
 M. Jo. Philippo Parnio  
 Past. H. Heiler. 1695.



9.

DECANUS  
COLLEGII THEOLOGICI  
IN

ACADEMIA ARGENTORATENSI

JOH. GEORGIUS  
DORSCHENS D.

ad

LECTIONES CURSORIAS

De

ANGELO CUM JACOBO PATR. LUCTANTE  
ex Genes. XXXII.

à

Reverendo & Clarissimo Viro

JOH. FRIDERICO HEILBRUN-  
NERO SS. THEOL. CANDIDATO, SERE-  
nissimo & Celsiss. Principi ac Domino, Dn. Friderico,  
Marchioni Badensi & Hachburg. &c. à Concionibus  
aulicis, & superioris Marchionatus Super-  
intendente

Octobr. 18. 20. 21. 22. & 23. publicè  
habendas.

observanter juxta, officiosè & peramanter  
invitans

Lectori benevolo Salutem à magno foederis  
Angelo P. P.







**I**N majestatem gloriamq; IESU intentus Judas Apostolus v. s. dicit, quod sit *κύριος λαόν* *ἐν τῆς Αἰγύπτου πάσης*. Syrus interpres ab Eduardo Pocoke editus: *דאלהא כד חרדא זכנ לעמא מן כערין פרק* Axioma educationis populi Israelitici ex Ægypto divinum esse & supra creaturæ vim, dignitatem, potestatemq; positum, haud facile negabitur, si id penitius introspexerimus. Non enim tantum in se complectitur illam antecessorem, qua & voluntatem Dei interpretatus est populo Moses, & consilia suggessit, quibus insistendum, & vias explicavit, quibus incedendum, & alia operatus est, quæ in isto opere humanum requisiverunt ministerium. Antecesserunt & accesserunt divina & sublimia alia, quibus maxime illa antecessio viguit & eventum obtinuit stupendum. Vocatio Moïsis & Aaronis in principio ad hanc educationem respicienda est. Illa visionibus confirmata est illustribus. Ex rubo ardente Dominus comparet, & se Deum Abraham, Isaac & Jacob nominat, quos ille in gloriosa societate secum viventes & nunc habeat, unde promissorum memor tandem ex Ægypto liberare & in destinatam dudum possessionem introducere posteros eorum cogitet, & deniq; ineffabili nomine suæ præsentia symbolum constituit. Quis hic è rubo locutus, sive habitator rubi fuerit, alibi explicatum est, in vind. ad cap. 3. Ex. & c. Hanc è Madian redeunte Moïse cum familia sequitur altera, qua vehementer perculsus & in extremum coniectus fuit à Jehova periculum, qui cum in deserto Moïsen terret & ad observationem cælestium institutorum adigit, in Ægypto eodem tempore Aaronem in occursum Moïsis excitat & ad communicationem consiliorum de hoc inexpectato opere disponit, ut sibi primas in eo asserat. Non licet nunc, quæ de utraq; visione publicavit Franciscus Moncejus Friedvallianus Atrebas dissert. singulari, expendere. Notamus tantum, illi educationis Ægyptiacæ axioma competere, qui se eam præstiturum esse inter istas theophanias professus est. Stupenda adhæc antecesserunt miracula, quibus expugnatum denique cor Regis educationi locum dedit: sed & interior cordis regii gubernatio Eductorem decuit, & docuit, non esse ejus potestatis educationem,



tionem, quæ aliunde pendet, non autem suo nititur robore. Accessit insuper paschalis epuli institutio, quo admirabiliter educendus fuit instructus ad iter populus. Accessit interemptio primogenitorum per Ægyptum, quam Jehova adornavit. Ex. 12, 29. Hic in columna nubis & ignis præsentiam suam obtestatus, felicissima migrantibus vestigia fecit. Ex. 13, 21. Successit signaculum admirandi operis, cum medius esset inter exercitum Pharaonis, repetiturum dimissos, & exercitum Israelis; Deus, & huic lucē daret, illum tenebris confunderet. Etenim via in rubro mari Euro divinitus excitato facta transitum populo Dei præbuit, Ægyptios submersit. Hoc omne educationi eam majestatem atq; excellentiam conciliavit, ut undiquaq; tremenda visa fuerit, & ipsis etiam salvatis Summi numinis venerationem inculcare debuerit. Hinc toties brachio excelso & manu forti facta dicitur in divinis. Ex. 15, 16. Deut. 5, 15. c. 7, 19. c. 9, 29 & c. Et Sinaiticus legislator, legibus suis auctoritatem daturus, se educatorem ex Ægypto fuisse memorat. Sed quis ille *σώτας τον λαον εν γης Αιγυπτου*. Vulgatus Italicus, qui jam ante B. Hieronymum in Ecclesia Latina celebris fuit, nominat JESUM. Sic enim ait: *Iesus populum de terra Ægypti salvans*. Hinc Josuam, quem Jesum Nave vulgò appellant, aliqui intellexerunt. B. Hieronymus in l. 1. contra Jovinianum cap. 12. ita disputat. *Transcendam ad Iesum filium Davæ, qui ante dictus est Auser, sive, ut rectius habetur in Hebræo, Olee, id est, Salvator. Ipse enim secundum epistolam Iude salvavit & eduxit populum Israel ex Ægypto, & in terram re-promissionis induxit. Hic Iesus statim, ut venit ad Iordanem, aqua nuptiarum, quæ semper in lege fluxerant, arefacta sunt & steterunt, & siccis pedibus ac nudis populus omnis transit & venit in Galgala, ibique secundo est circumcissus, quod, si juxta literam accipimus, penitus stare non potest. Si enim duplex haberemus præputium, vel excisa pellicula iterum nasceretur, rectè secunda circumcisio haberet locum. Nunc autem hoc significatur, quod Iesus cultello Evangelij populum, qui per desertum venerat, circumcidit cultello petrino, ut quod in Moyse filio præfigurabatur ante in paucis, id sub Iesu duce impleretur in cunctis & c.* Sic Hieronymus; in quo obiter impertinentissima contra Jovinianum argumentandi ratio notanda, & quam sapienter in vectiva in Jovinianum non tanti aestimetur, quanti eam præfatio in libr. I. Hieronymi contra Jov. aestimat, cum ait, *in disputatione contra Jovinianum Hieronymus ita omnes ingenis*



ingenii & eloquentia vires explicuit, ut ex hoc uno tantum opere, quantum ingenio, eloquentia, doctrina, rerumque omnium scientia D. Hieronymus praestiterit, liquido omnibus constare possit. Quid enim siccatum Jordanem, aut divisas aquas fluminis ad continentiam Monasticam referimus? Quam ineptè ex eo, quod secundò dicuntur filii Israel circumcisi, inferatur, in eodem subjecto jam antea circumcisio circumcisionem iteratam dici oportere, si verba propriè accipiantur, à pluribus observatum est. Conf. Serarium in *lof. cap. 5. quest. 1.* Id autem præcipuè animadvertimus, quod cum Jesum in Itala veteri translatione (de qua vide Sixtum Senensem *Biblioth. Sanct. lib. 4.* & Franciscum Lucam Brugens. *Notat. pag. 63.* & Serarium *prolegom. biblic. cap. 18. quest. 1.*) reperisset, illicò in Iosue animum intenderit. Nonnihil, inquit Johannes Lorinus *Jesuita Comm. h. l. p. 340.* Hieronymus memoria lapsus est, cum presentem locum nostrum interpretatus est de Iesu filio Nave, quod etiam utcumq; insinuat Aureolus in *compendio scripturarum*, dicens, quod Iesus populum suum eduxit; pronomine namq; isto videtur ducem designare, cui populus commissus fuerat, quamvis populus non debuerit dici esse Iosue vel Mosis, sed Dei, qui Deus, cum populus idolatriam commisit, appellavit non suum, sed Mosis populū, *Ex. 32, 9.* S. Hieronymus *lib. 1. contra Iovinian.* inquit Cornel. à Lap. *h. l. p. 577.* accipit Iosue: hic enim à LXX. vocatur Iesus. Iosue enim populum induxit in terram promissam. Verum obstat, quod Iosue non eduxerit populum ex Aegypto. Nam id fecit Moses, cuius minister & successor fuit Iosue. Benedict. *Justinian. h. l. Magnopere fallūtur, qui h. l. Iesum Nave interpretantur.* Melius reliqui in Ecclesia Dd complures per Iesum intellexerunt ipsum Filium Dei, qui sua potenti presentia educationi populi Israel praefuit & apparitionibus diversis praevit. Ut Judas h. l. dixerit, quod *1. Cor. 10. 9.* Christum sc. fuisse petram Israelitatem. Πνευματικὴ ἀκολουθία πέτρα ἢ χεῖρ. Pulcherrimè ad hæc verba Gregorius Nyssenus *contra Iudeos*, de petra vitæ, p. 330. Quoniam dixit, quod potus esset spiritualis, nihil habebat, quod variaretur ac immutaretur, quemadmodum Manna. ex modo scaturitionis probat, quod potus esset spiritualis. Neque enim propria natura petra aquam emittebat, sed alia petra quadam spiritualis. (supra quam ædificata etiam fuit Ecclesia Israelitica) qua erat Christus, quicquid fiebat, efficiebat. Dicitio autem subsequente significat, quod Christus semper



per unã adesset, & omnia miracula ederet. Photius apud Oecumen. li.  
1. Sensibilis quidem erat petra manifestè, quæ aquam Israelitibus scaturiz-  
bat. Sed nequaquam propria natura scaturiebat, verum potentia ejus, quæ  
efficaciter adfuit petra, spiritalis petra, comitantis in auxilium stien-  
tium, h. e. ad salutem & utilitatem eorum omnia transmutantis & trans-  
formantis & præstose desiderii ipsorum sistentis. Ipsa erat, quæ sensibilis  
petram in fontes aquarum resolvit. Quæ de re in pentadec. disp. 3. §.  
31. & seqq. Infaustus Socinus contra Bellarm. & Wieckum de divin.  
Christ. Class. 1. arg. 4. cap. 2. p. 72. & seqq. regerit, apud Iudam non I E-  
SVS, ut vulgata habet, sed DOMINVS legi debere, in græco enim con-  
stantissime legitur δ̄ κ̄ε̄ῑος. Atqui, ait Wieckus, plus ponderis habere lati-  
num, quam græcum textum. Miror sanè hominem, quamvis hic error illi  
cum suis omnibus sit communis, cum certum sit, Iudam non latine, sed gra-  
cè scripsisse. Nec aliud mihi hoc loco ad istum errorem confutandum dice-  
re est necesse, cum abundè satum ab aliis (quibusdam etiam Pontificiis do-  
ctissimis viris in testimonium adductis & ipsorum consiliorum, ni fallor,  
autoritate in medium prolati,) confutatus fuerit. Sed habet Wieckus  
aliud effugium, videlicet, etiam si legendum sit Dominus, tamen intelli-  
gendum nihilominus ipsum Iesum, qui hoc nomine passim in N. T. voca-  
tur, præsertim cum interpres latinus Iesu nomen consuevit hoc loco repa-  
nendum. Respondeo, passim quidem in N. T. Domini nomen ipsi Iesu tri-  
bui, sed ad tempora ipsius N. T. relatum, non autem ut hic, ad V. T. tem-  
pora. Nam cum ad V. T. tempora refertur, semper Deus ipse, h. e. ipsius  
Iesu pater eo nomine significatur. Quod Vetus interpres pro Domino Ie-  
sum substituerit, hoc fidem quidem facere potest, quomodo ille & alij for-  
tasse eo tempore, quo ipse vixit, istum locum intellexerint; ceterum neque  
ipsius, nec aliorum tanta est autoritas, ut eã standum nobis sit. Miror ta-  
men & Bellarminum & Wieckum istius loci apud Iudam, ut in latinis ex-  
emplaribus legitur, nihil aliud urfisse, nisi quod ibi Iesus populum dicitur  
servasse ex Aegypto, cum alia, quæ de eo ibidem adduntur, multò maioris  
momenti sint ad probandum, quod Iesus sit ille unus Deus Israelis, si nomen  
Iesu rectè ibi legeretur. Eduxisse enim populum ex Aegypto Mosi etiã & An-  
gelo illi, de quo Ex. 14, 19. c. 20, 16. c. 23, 20. & Act. 7, 35. in s. literis tri-  
buitur, quorum certè neuter erat unus ille Deus Israelis. Sic Socinus.  
Quicquid sit de Lojolitis Bellarmino & Wiecko, dicimus I. ali-  
quos Codices Græcos legisse Ῑοῡς, multò plures δ̄ κ̄ε̄ῑος, & ad-  
huc quosdam δ̄ θε̄ος, ut ex R. Stephano annotat Lorinus h. l. Cle-  
mens



mens Alexandr in l. 3. pædag. c. 8. legit θεός. In Comm. autem ad h. l. legit Dominus Deus. Syrus etiam θεός legisse videtur. Potuit ergo vulgatus incidisse in Codicem, in quo Ἰησοῦς legebatur. II. Basilides etiam hæreticus ita legisse videtur. Nam, ut Epiphanius hæresi 24. refert, Basilides ex Apostolo Juda collegit, Iesum esse unum de numero angelorum ab ipso effectorem Patre; venisse autem Judæos in sortem ipsius, & eundem esse, supra, quam reliqui angeli sunt, contumaciorem, & eduxisse filios Israel ex Ægypto pertinacia brachii proprii, propterea quod violentior & magis pertinax sit, quam reliqui: eum consilium iniisse, omnes alias gentes generi Israel subjiçendi, & propterea bella instruxisse. Esse eum phantasiam, cum apparuit, non hominem nec carnem &c. Hunc esse salutem nostram, in auxilium filiorum hominum missum, propter seditionem, quam vidit Pater inter homines & angelos, & nobis hanc veritatem revelasse, Simonem Cyrenæum in suam speciem, se autem in Simonis transformasse, sicq; ipsum non passum. Quamvis autem horrenda & infanda ista sit Basilidis hæresis, id tamen exinde colligitur, Basilidis ætate Iesu nomen in Codicibus Nov. Testam. comparuisse. Basilides autem vixit primo post Christum natum seculo. III. Sed &, nomine κρείς h. l. Dominum Iesum intelligendum esse, antecedentia postulunt. Is enim κρείς vers. 5. intelligitur, qui vers. 4. Est enim immediata istorum versiculorum connexio. Nec ulla apparet ratio, cur alium κρείον in illo, quam in hoc intelligere debeamus. At in vers. 4. disertè κρείς ἡμῶν Ἰησοῦς χριστὸς indicatur. Idem ergo etiam in v. 4. intelligendus. IV. Et sapius in eadem epistola nomen κρείς Christo tribuitur. vers. 14. inquit Henoch (quem omnium primum libros scripsisse, in primis de futuro iudicio contra hæresin Cainitarum, ex quibus hoc fragmentum apud S. Judam, putat Gilbertus Genebrardus Chronol. pag. 13.) ἦλθε κρείς. Intelligi autem Christum, ex actu adventus & opere iudicii alibi demonstratur. v. 17. rursus nomen κρείς tribuitur Iesu Christo. Ita & v. 21. insignitur. V. Præterea actus punitionis, qua in incredulos ac murmurantes animadversum est, disertè Domini Iesu est, qui tentatus serpentes etiam immisit. 1. Cor. 10, 9. Pulchrè B. Ambrosius in Pl. 118. Miramini, inquit, Moſen quia Patres vestros per mare siccis duxit vestigiis. Moſes non imperavit, sed impetravit: non iussit



iusit mari, sed servivit tubenti fluctibus. Moysen laudat, quia Regem Pharaonem cum exercitu suo merfit. Moses orabat, & alius imperabat. Moses precabatur, & Christus operabatur. Moses fugiebat & Christus insequabatur. Moses columnam sequebatur, ut nocturnas tenebras declinaret; Christus illuminabat. Moysen agnosceis, qui aqua amaritudinem temperavit, Moysen agnosce, qui aquam produxit de petra, Christum non agnosce, qui verè illius Ægyptij Regis stravit exercitum & merfit in profundo, qui nos liberat quotidie de mundi hujus fluctibus, & ne nos seculi hujus procella demergat. VI. Falsum autem est, quod Socinus ait, nomen *wee* si non ad res N. T. referatur, non nisi Deo Patri tribui. Refagatur Hebr. 1. 10. & seqq. VII. Satis magnum & sublime est, quod Domino huiceductio populi Israelitici ex Ægypto tribuitur, uti supra annotavimus. Nuspiam enim Mosei ut Domino eductio assignatur. Christo hoc competit axioma, & à S. Juda sigillatim attribuitur. Quod Bullingerum, Calvinum, Gomarum, Piscatorem, & alios non observasse, mirandum est. IIX. Est v. s. e. d. directus, ut ostendat, Dominum nostrum Iesum Christum esse severum incredulorum vindicem. Ostendit hoc exemplo vindictæ ab eo sumtæ contra Israelitas prius tot miraculis servatos. Qui enim jam olim etiam eos, quos ingentibus affecerat beneficiis & inter summa miracula è dura servitute eduxerat, postquam delsci vissent à fide debita, punivit, is postquam in N. T. sua publicavit mysteria, non inultos dimittit apostatas. At Dominus Iesus ita jam olim se exhibuit, ut primum se benefactorem, & post vindicem erga ingratos ostenderit. Hoc argumentum labefactatur, si per Dominum non intelligamus Iesum. Animadvertit hoc Didymus Alexandr. in Com. h. l. ubi indicat, hoc exemplo confirmari, quod modo dixerat Iudas, Christum esse Deum ac Dominum omnium rerum creatarum, & scelerum vindicem. Dicitur est, inquit, ante hæc de eo, quod sit verus Deus, iste solus dominator & dominus Iesus Christus, qui eduxit populum ex Ægypto per Moysen, quibus ita dictis consequens est, ut non sit alter Deus Moysi, neque enim est alius præter Trinitatem. Oecumenius ex præcis Græcæ Ecclesiæ Dd. Adfert, inquit, ex V. T. testimonium, tum ut declarer, eundem esse Deum, & V. & N. T. institutorem, & non, sicut isti scelesti (Gnostici) aiunt, alterum esse Deum V. T. ultorem & crudelem, alterum Novi, mansuetum & benignum asserentes, tum ut neq; hos mansuros esse inultos ostendat. IX. Quod de angelo



angelo dicit Socinus, cuieductio populi etiam adscribatur, parū aptè adducitur. Nam Angelum illum singulariter circa educ-tionem populi Israelitici operantem, non esse angelum creatum & ex sanctis myriadibus unum, sed increatū, immensum, θεαγγελον, solidis fundamentis alii probarunt, & à nobis aliquid dictum in Apolog. Judic. Theol. p. 90. Patefecit se angelus ille olim illustribus apparitionibus. Inter eas eminet, qua cum Jacobo Patriarcha se luctatorē & antagonistam in agone admirabili stitit. Certè angelum illum singulariter commendatum ab educationis opere Exo. 23, 20. & seqq. Theologi nostri docuerunt esse ipsum Filium Dei, *primum* ex appellatione. Dicitur *nomen tebove esse in medio eius* h. e. ei intimum, propriū & infallibilis characteris instar. Matth. Flacius in Clave col. 726. tria ea locutione denotari affirmat, 1. *Angeli Deitatem*. Nomen enim Dei in nullius medio esse dici potest, nisi & divina illi essentia in medio sit. 2. *personalem proprietatem*. Nomen est quasi imago rei. Sic Angelus hic imago Patris. Sic Apoc. 19, 16. Christus habet *super vestimentum & super femur scriptum nomen suum, Rex Regum & Dominus dominantium*. Perpendit hoc Augustinus, què aliàs Novatores Caligantes nobis adversarium obijciunt. Licet enim cum Dei nomen in Angelo esse dicitur, nomen Jesu Josuæ communicatum intelligat, tamen in Josua Iesum causam principalem educationis agnoscit ibi loquentem. Ita n. l. 16. contra Faustum Manichæum, c. 19. Tom. 6. oper. p. 322. ait. *Idem ipsum Dei verbum intelligitur loqui, ubi promittit eundem ipsum Mosi successorem, per quem populus in terram promissionis mitteretur, nomine angeli eum appellans, sicut etiam homines in scriptura divina aliquid nuntiantes angeli solent appellari: & ita dicit: Ecce ego mittam angelum meum ante faciem tuam, ut servet te in via & inducat te in terram, quam juravi tibi. Attende tibi & obaudi eum, ne non credas* (hinc origo phraeos apud Judam, cū dicitur μη παύσαυτες ἀπὸ λαοῦ) nihil enim subtrahet tibi. Nomen enim est in eo. *Quid est hoc? Perscrutetur scripturas illas non jam Manichæus, sed ipse etiā Indæus, & videat, utrum de aliquo angelo Deus dixerit, Nomen meum est in illo, nisi de hoc, quem introductorem in promissionis terram pollicetur. Deinde quærat in hominibus, quis Mosi successor introduxerit populum & inveniet Iesum, non hoc ab initio vitæ suæ, sed nomine mutato appellatum. Qui ergo dixit, Nomen meum est in illo Jesu, ipse est verus Iesus rector & ductor*



*Et ductor populi in hereditatem vitæ aeternæ. Propius expendit R. Mo-  
ses Gerundenſis, qui citante Andr. Maſio in ſ. 10ſ. planè hunc An-  
gelum filium Dei aſſerete, ita ad h. l. Iſte angelus, ſi rem ipſam dicemus,  
eſt Angelus redemptor, de quo ſcriptum eſt, quoniam nomen meum in  
ipſo eſt. Ille, inquam, Angelus, qui ad Iacob dicebat: Ego Deus Bethel.  
Ille de quo dictum eſt: & vocabat Moſen Deus de rubo. Vocatur  
autem Angelus, quia mundum gubernat. Scriptum eſt enim: Eduxit  
nos Jehova ex Ægypto. Et alibi, Miſit Angelum ſuum & eduxit  
nos ex Ægypto. Præterea ſcriptum eſt, Et Angelus faciei ejus ſalvos  
fecit ipſos. Nimirum ille angelus, qui eſt Dei facies. Denique ille Ange-  
lus, de quo vates, & ſubito veniet ad templum ſuum Dominus,  
quem vos quæritis & Angelus fœderis, quem cupitis. Secundo ex  
operum divinarum attributione. Uti educio populi ex Ægypto  
illi tribuitur, ita deductio per deſertum, quæ peragitur actibus  
planè divinis, ut ſunt antecellio perpetua, providentiſſima, bene-  
fica, ſeparatrix ab hoſtibus; custodia invicta, indefinens, omni-  
præſens; introductio in terram promiſſam infallibilis, omni-  
potens & irrefragibilis. Modus antecellionis traditur Ex. 14, 19. v.  
4. cum h. l. Angelus ille unus, magnus, ſummus dicitur antecede-  
re, Jehova Deus id dicitur facere Deut. 31, 5. Tertio ex ſymbolica ap-  
paritione. Symbolum præſentiæ hujus Angeli eſt columna nubis  
& ignis. Ex. 33, 9. Deut. 31, 15. Pf. 99, 7. ipſe Dominus in columna nubis  
deſcendiſſe & ex columna cum Moſe locutus dicitur. Num. 12, 5. deſcendit  
Dominus in columna nubis & ſtetit in introitu tabernaculi. Symbolum  
autem eſt præſentiæ ſingularis, potentis & gratioſæ. Sed & præſen-  
tiæ perſonalis inter divinam & humanam filii Dei naturam. Ignis  
divinæ, nubes humanæ ſymbolum. Quo forſan Angelus Gabriel  
ſpectavit, cū Luc. 1, 13. dixit: Virtus Altiffimi אל נבו επιφανείας  
ου. Erat Dominus in columna nubis, umbra ad dextram Israeli-  
tarum. Quarto ex cultus divini poſtulado. Ita enim de hoc An-  
gelo Iſraeli Deus Pater præcipit. *Obſerva eum, audi vocem ejus,*  
*(αὐτὸν ἀκούετε. Matth. 17, 5.) ne rebellaveris ipſi, quia non relinquet te im-*  
*punitum, cum peccaveris. Juſtitia vindicatrix ei tribuitur & ad eam*  
*vitandam fuga rebellionis, cui incluſa fidelis adhæſio & conti-*  
*nua obedientia commendatur. Sed iſta latius deduxit ὁ παναείων*  
*D. Gerhardus in Exeg. Loc. Theol. de Trinit. ſ. 139. Ex ſchola Calvini,*  
*etiam per eductorem, Angelum Filium Dei intelligentis, quem*  
*ſequuntur Gallafius Comm. h. l. Piſcator in ſchol. Fr. Junius in notat.**

B

Deo-



Deodatus in *notat. Ital.* & alii, prolixè etiam docuit Rivetus ad *Exod. 23. p. 104. & seqq.* Cæterum ANGELUM LUCTATOREM, ADMIRABILEM SANCTISS. PATRIARCHÆ JACOBI ANTAGONISTAM, qui pro posteris ejus sub-  
mitter in eductione è domo servitutis luctatus est, secum medita-  
tus fuit REVERENDUS & CLARISSIMUS Dn. M. FRIDERICUS HEILBRUNNERUS, ULMENSIS, *Plurimum reverendi, amplissimi & præclarissimi VIRI, Dn. ANTONII HEILBRUNNERI, Marchionatus Bada Durlacensis & Hachburgensis Superintendentis Generalis dignissimi Filius, ex matrona ornatissima SABINA, Plurimum Reverendi & Clarissimi VIRI Dn. JOH. WEININGERI, superioris Marchionatus Superintendentis gravissimi susceptus.* Postquam enim ille Deo confœderatus & Ecclesiæ inlitus ad eos pervenit annos, quibus se egregia animi vis atque præclara in-  
doles exerere potuit, magno proficiendi desiderio, literarum, quibus humana continetur Sapiëntia, cognitionem feliciter assecutus, mox ad PHILOSOPHIÆ studium sese contulit, cui eoulsq; incubuit. ut, post specimina diversa publicata, supremum à Collegio philosophico gradum gratulabundo applausu assecutus sit. Hinc Orientalium linguarum, hic & apud celebratissimum D. BUXTORFIUM *Basilea,* arcana perdidicit, & cum illis THEOLOGIAM, majorū vestigiis institurus, amplexus, tanto eam fervore coluit ut, cum apud nos publicè privatimq; operosus, disputationibus exhibitis variis, omnium amorem admirationemq; excitasset, & apud Universitates studiorū Germaniæ alias, JENENSEM, LIPSIENSEM, WITTEBERGENSEM, GIESSENSEM &c. Theologorum gravissimorum sibi conciliaffet favorem, redux ad suos, maturus judicatus fuerit, qui Spartam, quam suis exornaret dotibus, nanciscatur. Cumq; *serenissimo Celsissimoq; Principi ac Domino, Dn. FRIDERICO, Marchioni Badensi & Hachburgensi, Landgravio Suseuburgensi, Comiti Sponheimensi, & Ebersteinensi, Dynasta in Roetelen, Badenweiler, Lohr, & Mahlburg &c. Domino nostro Clementissimo, Nutritio suo benignissimo, florentium ingeniorum Parrono summo,* semper in oculis & favoribus habitus fuisset. & in ea studiorum suorum maturitate jam conspiceretur, placuit ejus Celsitudini, ut muneri Ecclesiastæ Aulici & Superintendentiæ Emmendingensis in superiori Marchionatu admo-  
veretur: simulq; in judiciorum de se latorum confirmatiõnem à Colle-



Collegio nostro *δοκιμασίαν* ad honores in SS. Theologia supremos consequeretur. Hoc Dn. M. HEILBRUNNERUS, exhibitis simul clementissimis Serenissimi Principis commendatiis, cum libello oblato peteret, facile impetravit. Itaque statim ad examen admissus, cum in eo judicia ante de ipso concepta egregiè confirmasset, etiam reliquorum solennium peragendorum licentiam, tanquam Candidatus, consecutus est. Occurrunt LECTIONES CURSORIÆ, quas Deo volente XII. X. Octobr. auspicaturus hora IX. continuabit XX. XXI. XXII. XXIII. in auditorio Theologico. In illis meditationes suas *de luctu Jacobi cum Angelo* exponet & eruditionis suæ gustum præbebit acceptissimum. Ad has nomine Collegii nostri in viro CIVES ACADEMICOS, ORDINIS nostri fautores honoratissimos, & observanter amiceque rogo, ut animis faventibus, auribusque benignis, lectionibus istis cursoriis splendorem adferre velint. Reverend. Dn. Candidatus id studiis suis atque officiis pensabit. Dabit etiam operam Collegium Theologicum, ne laboribus conatibusque gratitudinem profitentibus Auditorum desideriis desit. Dn. JESUS, Angelus Ductor & pro fœdere Luctatus, omnibus benedicat, & instrumenta boni seculi magis magisque perficiat ad nominis sui gloriam. Amen. Perscript. Argentorati, Anno Christi 1652. 16. Octobr.


## ARGENTORATI

Typis JOHANNIS PHILIPPI MÜLBI  
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI


---

M. DC. LII.





































the scale towards document

dem spiritus, diuidens peculiariter

**XIIII.**

na eius natura quatuor potissimum

**XV.**

ue nominibus. Nam & Deus ap  
Deus Israel locutus est per me. I.  
nes operationum sunt: idem vero  
it Petrus, Cur satanas impleuit cor  
Sancto: Et mox: non es mentitus

**XVI.**

gno & sacro sancto illo noīne, quod  
soli Deo tribuitur, IEHOVAH  
sistendo deducitur, & ab ipsomet  
est, Exod: 3.

**XVII.**

20. & Nume. 14 eductor populi  
nominatur, & psalmo 95. tentatus  
bulo suo dicitur: Esaie 63 spiritus  
cum inquit, Rebellarūt & irritaue  
tum eius.

**XVIII.**

13 scribitur, quod spiritus IEHOVAH  
& cap: 16: Nesciebat autem re  
OVAH. Eadem etiā phrasis 1 sam:  
reperitur.

**XIX.**

H Deus Zebaoth Esaie apparuisse  
A ij scribitur: